



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 90. Haslangus Bellidux a rebellibus captus; pessime habitus, & mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII. mille sexcenti pedites, ac mille septin-  
 A. C. 1620. genti Equites, quos Balthasar Mara-  
 des adduxerat, postquam in itinere  
 Risenbergam arcem bellico stratage-  
 mate occupaverat.

## §. XC.

*Haslangus Bellidux a rebellibus ca-  
 ptus, & pessime habitus.*

Substitit per aliquot dies Straconizii  
 Boicus exercitus, ut annona oppor-  
 tunius advehi, & ægroti milites cum  
 aliis impedimentis in Bavariam trans-  
 ferri possent. Erat inter eos Haslan-  
 gus Baro, Vir genere, virtutibus, re-  
 busque pro patria & religione gestis  
 longe clarissimus, qui cum lectica ex-  
 tra castra deportaretur, die decima se-  
 ptima Octobris ab Hungaris, qui in in-  
 fidiis latebant, intercipitur, e lectica  
 violenter extrahitur, & veste nudatur,  
 dein ægre spirans, spe pinguioris lytri,  
 strigoso jumento vinctus imponitur, in  
 hosticum revehendus: spoliatur sexa-  
 ginta millibus florenorum, qui apud  
 ipsum, ejusque comitatum reperti fue-  
 runt: dein fit impetus in Præfectorum  
 uxores a Viris suis in Bavariam mis-  
 sas, quas hi prædones non modo bonis  
 suis, sed & vestibus spoliarunt, nu-  
 dasque a se abegerunt, atque e Stipa-  
 toribus



toribus decem obtruncatis, triginta captos abstraxerunt, ceteris fuga elapsis. Re percepta Maximilianus de scurrili hac petulantia questus, illico Caduceatorem misit, qui Haslangum a Friderico Palatino repeteret, mox ubi convaluisset, cum fide remittendum, respondit tamen Fridericus, eum non in sua, sed Bornemissæ Hungarorum Ductoris manu esse: Ita paulopost Haslangus die quarta Novembris, Rachenizii in castris Hungarorum detentus, ac febris maligna consumptus obiit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1620.

§. XCI.

*Posonium a Gabriele Bethlemio occupatum.*

Illuxerat dies decima quarta Septembris, qua Ferdinandus Cæsar datis ad Bavarix Ducem literis nuntiabat, quod Gabriel Bethlemius prope Posonium cum duobus Hungarorum millibus Danubium trajecerit, eamque mox validiores adhuc copix subsecuturæ essent, proin ad tuendos fideles Hungarix Proceres, & coercendam rebellium violentiam, ut tam Cæsarei quam Bavarici exercitus pars unacum Tampierio Comite ex Bohemia in Hungariam submitteretur, necesse foret: Eapropter Maximilianus Dux præter Cæsarem

Orthel. contin. p. 75.  
Diarium  
Anass. p. 49.  
Merc. Gallob. t. 9. l. 2.  
Theatr. Hist. cap. 3.